

53



1. Oertel, Abr. Jac., Meditationes de jure publico universali et particulari conuergue differentis. Altorffii 1743
2. Klein, Joh., De prerogatiuis principum S. R. I. Jenae 1756
3. Mand, Georg David, De splendore archiofficio. Lipsiae 1762.
4. Wildroget, Chrn., De filiis electorum. Jenae 1711.
5. Gribner, Mich. Henr., Observationes juris publici de sigillo maiestatis Saxonicae Ed. 2. Vitebergae 1718
6. Hertel, Jo. Fridr., De privilegio Saxonico de non appellando ad Terras Misnicas, Thuringicas et Franconicas non extendendo. Jenae 1734
7. Fiegler, Caspar, De singulari ceterisq. electoris Saxoniae eminentia. 1746
8. Hommel, Lad. Ferd., De vicariatu Saxonico lib. I. Lipsiae 1780
9. Budor, Ann. Rich., Programma ad elementinam pastorali de contenta et de re iudicata s. de juribus vicariorum. Jenae 1756
10. Arumaeus, Dom., De romani teuton. imperii vicariatu. Ed. 2. Jenae 1733
11. Lyncker, Nic. Christoph., De potestate imperatoris alienandi bona imperii. Recursa 1731
12. Mettelbladt, Dan., De coronatione eiusque effectu inter gentes. Halae 1747
13. Griebner, Mich. Henr., De juribus vicariorum imperii. Ed. noua. 1743.
14. Mathaei, Petrus, Jura Thom. August. Majestät Caroli VIII Wahlcapitulacion nach dem drey mit ... Caroli VI Wahlcapitulacion unter schiedem weye. Danzig 1742.

DISSERTATIO JURIS PVBLICI
DE
FILIIS ELECTORVM

Don
Ghur = Grinzen

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

DN. WILHELMO HEINRICO

DVCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIVM,
ANGARIÆ, WESTPHALIÆQVE ET RELIQA
PERMISSV ILLVSTRIS FCC. ORDINIS

IN ACADEMIA JENENSI

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO WILDVOGELIO

JCTO CONSVMMATISSIMO,
CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI INTIMO, ITEMQVE ANTE-
CESSORE, CVRIÆ PROVINCIALIS ET SCABINATVS
ASSESSORE GRAVISSIMO,

H. T. PRORECTORE MAGNIFICO

*Domino Patrono ac Præceptore omni observantia
& cultu ætatem venerando*

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI SISTET

Ad D. Julii Anno M D CC XI.

IN AVDITORIO JURIDICO

A. & R.

JOHANNES ALBERTVS HEVLEIN,

Heilsbronna-Francus.

I E N Æ
TYPIS MULLERIANIS

De principis Electorum prae
rogativis vide Bergeri Dissect.
select. No. XLV.

*Illustrissimo atque Excellentissimo
Domino,*


**DN. SAMVELI
LIBERO BARONI**

à CRISTELL,

Serenissimi ac Celsissimi Ducis Sa-
xo - Weissenfelsensis Consiliario
Status intimo, nec non Came-
ræ & Consistorii Præsidi
gravissimo &c.

*Domino suo ac Mæcenati clemen-
tissimo,*

OMNIGENAM FELICITATEM
ET
PERENNITATEM!



ILLVSTRISSIME ET EXCEL-
LENTISSIME DOMINE,

Purimum sane temeratis subeo, dum
levidensibus hisce ac exilibus pagel-
lis gravissima, quibus distentus es,
negotia interpellare audeo; atque
esset profecto, cur non parum erubescerem, pri-
mitias istas Academicas Tanto offerre MACENATI,
nisi propensus in studia honesta affectus, laude im-
mortali dignissimus, animum hesitandi adderet,
fidu-

fiduciamque accenderet, fore, ut pro insigni, qua
polles, Clementia meam hanc licentiam in beni-
gnissimam partem accipias. Provoco ad beneficia
plane singularia, quibus suffultus mea hactenus
studia in Salana isthac continuare, progressusque
in iis non pœnitendos facere sum cōnatus. Di-
scessum ergo hinc meditans, quidni tot, tantorum-
que beneficiorum, summissa cum veneratione re-
miniscar? Permite itaque, ILLUSTRISSE, atque
EXCELLENTISSE DOMINE, mihi hanc grata mentis
contestationem, ut devoto jam cultu Clementiam
illam incredibilem prosequar. Quamvis enim
non mearum sit virium, grates rependere debitas,
neque tamen infra Dignitatem TVAM putabis, be-
nigne suscipere curas hasce Academicas, & respi-
cere sereno vultu qualescunque has paginas, quas
pia mens ILLUSTRISSE NOMINI TVO consecrat, &
caste manus demississime offerunt. Maxima hinc
servitiis TVIS immoriturum me tenebit fiducia,
majorum in studiis posthac successuum, qua Divi-
nis Auspiciis & TVO imprimis PATROCINIO ad emer-
gendi facultatem provehere satagam. Tandem
pietas mea devotissima jubet, ut communibus vo-
tis, que totius Patrie utilitas, TVAQUE merita spe-
ctatissima postulant, & mea adjiciam ad immor-
talera

*talem Deum directa, quo TE, ILLUSTRISSIMUM Au-
le ac Reipubl. sidus, Serenissimi Principis, Patria-
que, cujus delictum, Tutela, & unicum es refu-
gium, emolumento ac saluti, diu incolumem, diu-
que florentem conseruet.*

ILLUSTRISSIMI, AC EXECELLEN-
TISSIMI NOMINIS TVI

Subiectissimus ac deditissimus cliens

Johannes Albertus Heulein.



DISSERTATIO JURIS PVBLICI
DE
 ELECTORVM FILIIS.

§. I.



Filiorum Electorum filiis quæ compe-
 tant jura, atque præeminen-
 tiæ traditurus, pauca saltim
 de origine & variis Electo-
 rum elogii præmittam. Ele-
 ctorum, qui ortum suum
 turbulento interregni statui debent, expressa de-
 mum appellatio à Caroli IV. Imperatoris tem-
 poribus magis invaluit. Licet enim jam ante
 floruerunt Archi-Principes atque Septemviri,
 ætate tamen Caroli IV. electorium sibi adscive-
 rant titulum, ampliorique ac cæteri Principes,
 existimatione ferri cæperunt. conf. Crügerus

A 2

Dis

Discursu Jur. Publ. p. 19. seqq. Hinc in Aur. Bul.
 prooemio prædicantur *Palmites imperiales*, *septem candelabra lucentia in unitate Spiritus septiformis.* cap. II. *propinquiora S. Imperii membra.* cap. III. *Columna proceres, securum adificium circumspecta prudentiæ solerti pietate sustentantes, quorum præsidio dextra imperialis potentia roboretur,* cap. XII. *solide bases Imperii, & columna immobiles.* Notari quoque merentur, quibus illos Sigismundus Imperator mactavit, laudes in constitutione de jure & successione Electoris Palat. §. I. apud Goldastum *Tom. un. Constitut. Imper. p. 398.* Electores enim illustres *Principes, per quos cœpit, & in quibus consistat Imperialis gloria celsitudo, vocantur.* Longe plura Electorum invenies elogia, si *Recessus Imperii, Constitutiones, & Capitulationes Imperatorum* perolveris, in compendio vero exhibentur apud *Thulemarium de Octoviratu c. VIII. p. 108.* *Crugerum in discursu Jur. publ. parte speciali membr. 1. p. 58. seqq.* *Bechmannum Notit. dignit. dissert. VIII. cap. 2. §. 3.* *Svvederum in Introduct. Jur. Publ. parte speciali sect. 2. c. 2. & alibi.* §. 2. *Principum, de quibus nunc dicam, paren-*

parentes, in tanto honoris constituti fastigio, à
 juris publici doctoribus describuntur, quod sint
 Principes Imperii, quibus quoad ceteros jus eli-
 gendi Imperatoris vel Regis Romani privative
 competit, conf. Textor *Jur. Publ. Tit. VI. de
 Elector. num. 4.* Utut enim vel in aliis à reliquis
 Germaniæ Principibus differant præminentis,
 quas longum foret hic recensere; attamen ab
 actu electionis Electores insigniuntur. Sunt ve-
 ro hi vel ecclesiastici vel seculares. Ecclesiastici
 dicuntur, Moguntinus, Trevirensis, & Colo-
 niensis Electores, non quatenus tales, sed qua-
 tenus simul sunt Archi-Episcopi, qui ob status
 ecclesiastici venerationem & antiquitatem ante
 seculares locantur. Seculares sunt Rex Bohe-
 miæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniam,
 Marchio Brandenburgicus, Dux Baviarum, &
 Dux Brunsvico-Luneburgensis. Cum vero ec-
 clesiasticis Electoribus matrimonium contrahe-
 re non liceat, sed per modum electionis, quem
 modo dixi, honorem nanciscuntur: seculares
 autem hac præ illis pollent præminentia, natos-
 que ex legitimo complexu Principes, habent
 successores.

§. 3. Filii in genere sunt vel legitimi, vel

ob-

A 3

natu-

naturales, vel adoptivi; Legitimi ex justo matrimonio procreantur. Naturales appellantur, qui ex impuro conredientium complexu proficiuntur. Adoptivi denique, qui per adoptionem tanquam actum legitimum in locum liberorum, quales natura non sunt, assumuntur, *l. 1. ff. d. adopt.* De naturalibus atque adoptivis Principum filiis infra dicendum erit, ubi de successione doctrinam exponam. Legitimi contra totam fere implebunt paginam, quippe de quibus nunc scribere cœpi.

§. 4. Illorum equidem quod attinet educationem, in id incumbendum esse quam maxime ratio docet, ut pii pariter atque prudentes, quibus utantur Principes, eligantur moderatores. Sicut enim ad tuendum gregem bonus requiritur pastor, ad gubernandam navim experiens nauclerus, ad instruendos milites prudens præfectus; ita tenelli adhuc principes adsuefieri debent, quo subditorum suorum emolumenta omni tempore promoveant. Educatio enim si deficit, deteriores non raro evadunt nati, corruptosque naturæ instinctus sequuntur. Optima è contrario institutio, bonos si semper viros, eosque graves ac eleganter doctos

Etos circa se habent, qui illos in omni doctrinæ & morum opere fida manu imbuunt. Vide, qui de Principum educatione ex instituto differuerunt, Xenophontis *Cyri Padiam*, Plutarchum de eodem argumento, Conradum Heresbachium, *de educandis erudiendisque Principum liberis*, Joh. Sturmium, *de educatione Principis*, Marcum Antonium *de Principum doctrina*, Erasmodum Roterodamum *in peculiari ea de re epistola*, Hieronymum Cagnolum, *de recta Principis institutione*, Farnesium *Diphtbera Jovis*, Heroaldum Reiffenbergium, Marximum, & cum primis Leonem Bacovium *de prima Principis institutione*, quibus adde Anton. de Guevarra *in borol. Principum*, & Vitum Ludovicum de Seckendorff, *im Teutschen Fürsten Staat p. II. c. VII.*

§. 5. His generaliter præmissis ad specia- lia descendimus. Sancitum enim olim fuit à Carolo IV. Imperatore in *Aurea Bulla c. XXX. eoque ultimo §. 2.* ut tres potissimum linguas Electorum filii addiscant. Quæ ejus verba cum notari mereantur, huc transcribo: *Quapropter ait, statuimus, ut illustrium Principum, puta Regis Bohemia, Comitum Palatini Rheni, Ducis Saxonia,*

nia, & Marchionis Brandenburgici, Electorum, filii vel heredes, & successores, cum verissimiliter Theutonicum idioma sibi naturaliter inditum scire præsumantur, & ab infantia didicisse, incipiendo à septimo ætatis sue anno, in Grammatica, Italica ac Sclavica linguis instruantur.

§. 6. Hoc insuper loco venit commemorandum, quantum variant A. B. exempla hinc inde excusa. Illud enim, quod in Recessibus Imperii Moguntiaë impressis reperitur, hæc verba refert: *In Germanica, Italica, & Sclavica &c.* & versio ejus Germanica: *In der Teutschen/Welschen und Wendischen Sprachen* &c. Falso autem pro *Grammatica* legitur *Germanica*, quippe cum emendatiora A. B. exempla ipseque reliquorum verborum contextus repugnent, qui Teutonicam linguam Electorum filiis ab infantia cognitam non inepte præsumit. Eo magis porro miramur, quod corruptam A. B. editionem secutus fuit cum aliis Mylerus ab Ehrenbach *in addit. ad thes. XVII. dissert. VI. Rume- lini ad A. B.* ubi variis suam in ea re sententiam defendere conatur argumentis: Modo enim ad linguæ germanicæ majestatem: modo ad amorem, quo Carolus IV. in illam ferebatur, provocat:

cat: modo gloriosum Electoribus esse autumat;
 si linguam sibi nativam excolant atque exercent.
 Verum si dicendum quod res est, vel in omni-
 bus, quæ adduxit, argumentis fefellit. Non
 enim per commendationem alius linguæ ab Im-
 peratore nostro factam, idiomatici nostro ger-
 manico splendor statim adimitur, sed tanquam
 magni res momenti supponitur: ad hæc Caroli
 IV. Imperatoris nostri amor hujus linguæ mini-
 me perit, sed vel in eo se prodit maxime, quod
 germanicam, omnium linguarum facile princi-
 pem, tanquam nationalem præsupposuerit. Emen-
 datioem longe codicem eumque Palatinum con-
 suluit Linnaeus; videantur quæ habet *in observo.*
20. ad. A. B. c. XXX. §. 2. add. Cl. Tenzelium in
colloq. menstr. anni 1690. mens. August. p. 770. &
Freherum, qui litem hanc in singulari schedias-
mate composuit.

§. 7. Per *grammaticam* vero non instru-
 mentum aliquod aut medium, quo informari de-
 beant Principes, sed latinam linguam intelligi,
 Sleidanus monet *lib. 1. de Stat. relig. & reip. circ.*
fin. cui ex professo contradicit Linn. Tom. IV.
Add. jur. publ. lib. 3. cap. 7. n. 70. & ad Aur. Bull.
cap. XXX. Obs. 21. ubi binis præcipue dubitandi

B

ratio

rationibus dimicat, (1.) quod Carolus IV. Imperator de linguis diversarum, quæ fuerunt sub Imperio, nationum, egerit; at nulla eo tempore inter illos extiterit, nec sit hodie, quæ linguam Latinam pro sua nationali habuerit vel habeat, (2.) ad verba ipsa digreditur, eademque contra mentem Imperatoris interpretatur, putat enim, quod grammaticæ, Italica & Sclavica, indicentur, quibus navare operam debeant Principes filii Electorum.

§. 8. Has igitur ambas Limnæi rationes paucis examinaturus, ad priorem me convertō. Equidem cur per Grammaticam præcise intelligatur Latina lingua, Limnæo nondum apparet, cum primis cum eadem nunquam nationalis lingua extiterit. Sed etiamsi hoc ipsi largiar, nihilo tamen minus certum est, linguam latinam publici usus antehac in S. R. Imperio fuisse. Testantur id omnino leges imperiales Conradi III. Lotharii II. & Friderici I. Imperatorum, tractatus pariter de pace Constantiæ, constitutiones Friderici II. & vel ipsa Aurea B. atque alia antiquitatis monumenta, ex quibus patet dilucide, quam maxime Principi Electori in rebus Imperii conducere latinæ linguæ peritiam. Deinde

Li

Limnæi interpretationem haud patiuntur verba
A.B. in Grammatica, Italica & Slavica linguis &c.
 Vox enim *Linguis* superflua prorsus foret, imo
 inepta relinqueretur constructio, nisi per *Gram-*
maticam, linguam aliquam, eamque dubio pro-
 cul Latinam, intellexeris. Pluribus hanc rem post
 Freherum prosecutus est Joh. VVolfgang Tex-
 tor *in Jure Publ. Tit. VIII. n. 153. p. 418. seqq.*

§. 9. Italicæ porro linguæ, quæ miras ve-
 neres habet, omniumque argutissima est in ex-
 plicandis animi sensibus, necessitatem autores
 constituunt diversimode. Illam enim ideo ne-
 cessariam esse quidam existimant, partim quod
 omnis generis præcepta politica hoc idiomate
 tradita fuerint: partim quod usus linguæ hujus
 in variis Regum Principumve aulis existat am-
 plissimus: partim quoque quod à lingua latinæ
 parum differat, verborum saltim sonum ac pro-
 nunciationem ab Hunnis, Gothis, atque Vanda-
 lis corruptam si exceperis. Illegitimam hinc
 linguæ Latinæ filiam eam vocavit Lansius, *in*
orat. contra Gallos. conf. Cathar. Dulcem *in*
Grammat. Ital. c. 3. Lindensp. *ad A. B. d. tit. 30.*
 Mylerum ab Ehrenbach, *in addit. ad Rummeli-*
nus l. cit.

§. 10. Slavicam denique linguam omnium fere totius Europæ idiomatum amplissimam Electorum filii commendavit Imperator in A. B. *loc. cit.* Hæc à Slavis seu Vandalis è Roxolania populis profecta totum ferme Orientem, quini- mo Septentrionem, occupavit. Superfunt ejus reliquæ apud Bohemos, Lusatos, Moravios, Silesios, Cassubios, Vandalos, Pomeranos, Ruthenos, Pruthenos, Carinthianos & alios Germaniæ populos. Extra Germaniam ea utuntur Poloni, Podolii, Volhinii, Massovii, Moschi, Abgazari, Cosacæ, Dalmata, Croata, Turcæ & innumeri, qui ex Slavica gente superfunt, populi. Megiserus in *Annalibus Carintibiæ, libro VI. c. 47. p. 568.* Thuanus *histor. libr. 56.* Reif- fenberg. *de instruend. Princip. p. 347.* Lindensp. *ad A. B. l. cit.* Mylerus ab Ehrenbach *l. c. Lim- næus ad A. B. observ. 26. ad cap. XXX.* Linguae proinde hujus usum multiplicem prævidens Imperator, amore inter alia regni Bohemiæ ductus, ea ut instruantur Electores, mandavit. Nec sic ad amplitudinem hujus linguæ respexit Imperator, prout cum Thuano & Mylero locis modo allegatis Sinoldus de *Statu Rei Rom. Volum. 1. disput. 7. thes. 26. lit. N.* concludere maluit. Po-
EUS

tius enim in A. B. indicatur, quod linguis ab Imperatore denominatis, nationes Imperii fuerint usæ, latino vero idiomate ardua Imperii negotia ventilata, prout ipsa A. B. verba habent: *Illud non solum utile, imo ex causis præmissis summe necessarium habetur, eo quod illa lingua ut plurimum ad usum & necessitatem S. R. Imperii frequentè sint solita, & in his plus ardua ipsius Imperii negotia ventilentur.* confer Linnæum l. c. observ. 28.

§. II. Igitur cum diverso Imperii Romano semper subsuerint nationes tum moribus & vitæ genere, tum idiomate distinctæ, illisque præstare debuerint Electores, diversis omnino idiomatibus linguisque imbuendos illos præcipit Imp. quo per se ipsos intelligere alios valeant, nec ab interpretibus decipiantur. Audiamus idcirco Carolum IV. in A. B. l. c. §. I. ita loquentem: *Cum S. Romani celsitudo, diversarum nationum moribus, vita & idiomate distinctarum leges habeat & gubernacula moderari dignum est, & cunctorum sapientium iudicio censetur expediens, quæ Electores Principes, ipsius Imperii columnæ & latera, diversorum idiomatum & linguarum differentiis instruantur, ut plures intelligant, & à pluribus intelligantur,*
B 3
qui

qui plurimorum necessitatibus relevandis Casarea
 Majestati ac sublimitati adfistunt, in partem sollici-
 tudinis constituti. Nec turpe olim fuit Regibus atq;
 Imperii Principibus, linguas addicere varias, sed
 in laudibus potius ipsorum ponebatur. Gloria
 sua adhuc floret Ponti & Bythinæ Rex, Mithri-
 dates duarum & viginti linguarum peritissimus;
 Ipse, quem hactenus deprædicavimus, Carolus
 IV. quinque linguas, Germanicam, Latinam,
 Italicam, Gallicam atque Slavicam calluit, suo-
 que alios exemplo ad imitationem sui allexit.

§. 12. Priusquam ad alia deveniamus, de
 Principum ætate, qua imbui debent, satis tene-
 ra erit agendum: hæc vero expresse in A. B. l. c.
 definitur, verb. *Incipiendo à septimo ætatis sue
 anno, ita, ut infra quartum decimum ætatis an-
 num existant in talibus, juxta datam sibi a Deo
 gratiam, eruditi.* In plerisque quidem antiquis
 editionibus, iisdemque germanicis legitur: *un-
 ter vier und zwanzig Jahren.* Verum jamdu-
 dum emendata est hæc lectio in Recessibus Im-
 perii, monente Goldasto in *Rational. fol. 103.*
 Sunt præterea, qui in septem ætatis annis, à qui-
 bus institui Principes cœperunt, inque numero
 septenario mysterium quærunr. Ac, ut illa, quæ
 scri-

Scriptura S. hinc inde suppeditat, reticeamus, hic numerus in testamentis solennibus condendis adhibetur, §. 3. *Instit. de testam. ordin. l. 12. pr. ff. l. 21. pr. Cod. qui testament. fac. poss.* Verum numeris ne quidquam mysterii atque efficacix tribuentes magis ad alium Caroli IV. scopum attendimus. Ad duas potius, in quas disciplina dividuntur, ætates respexisse Imperatorem probabile est, quarum una post septimum annum usque ad pubertatem: altera à pubertate usque ad annum vigesimum primum progreditur, juxta Petr. Gregor. Tholosan. *l. XV. de Republ. c. 1. n. 5.* ita ut Electorum Principes à septimo ætatis anno, prædictas linguas addiscere incipiant atque infra annum ætatis decimum quartum in talibus existant eruditi.

§. 13. Nec est, quod velocitas fingatur, nimiaque festinatio. Licet enim de ingeniis præcocibus multa adducant Adrian. Bailletus, in tractatu: *des enfans devenus celebres par leurs etudes ou par leurs Ecrits*, & qui hunc in plurimis suppleverunt, Scultetus, atque VVolfius, ea tamen huc profus non faciunt, nec Imperatoris præceptum evertunt. Vnum salum exemplum memoratu non indignum attingo. Inter eruditos ma-
gnum

gnum est Montani nomen, qui anno ætatis sexto latinam linguam prompte loquens supremum honoris & dignitatis gradum consequebatur, conf. *Ejus Essais l. 1. c. 25.* Concludimus itaque, aptam sætis ætatem definiisse Imperatorem, qua instrumentum conversatione & doctrina Electorum Principes & loquendi & scribendi latine, Italice ac Slavice promptitudinem adquirere possint.

§. 14. Ea, quæ gloriosissimus Imp. de instituendis Electorum filiis in variis linguis hic constituit, ad Electores seculares tantum pertinere, nec de ecclesiasticorum liberis exaudiendum esse, ex eo facile patet, quod ecclesiastici Electores, tanquam personæ clericales, quibus matrimonii usus juxta canones pontificios prohibitus est, legitimos filios non habeant, & si fortassis tales existant, successionis tamen in electoratu spe certa destituantur, sed per electionem ad Archiepiscopatus eisdemque annexam dignitatem electoralem promoveantur, atque hinc de ipsorum qualitate sollicitum esse supervacanea fuisset cura. vid. *Limn. Tom. IV. Addit. ad J. P. lib. 3. cap. 7. n. 70. Textor. Jus publ. cap. 8. n. 152.*

§. 15. Igitur obedientes si fuerint, atque doctrinis se dederint Electorum filii, parentes sibi de illis congratulantur. E contrario si vitis pravisque corrupti sint moribus; aliorum æque, qui parentibus subsunt, conditionem subeunt. Parentibus etenim ex divino & humano jure obediant liberi, sive Imperatoris, sive Regum, sive Electorum, sive Principum sint filii. Hæc enim parentum in filios potestas ex solo naturalis juris præcepto dependet, idque per varias ætatis periodos ostendit Grotius *de Jure B. & P. lib. 11. c. 5. §. 2.*

§. 16. An vero jurisdictio Electoribus in filios, perinde ac in subditos, tam in civilibus, quam criminalibus causis, competat, de eonon est unanimis DD. sententia. Et de causis quidem civilibus latius agit Dn. Rhetius *Jur. publ. lib. 1. tit. 23. §. 10.* nec non Dn. Stryckius *in usu mod. Dig. ad tit. de jurisdict. §. 29.* Quoad criminales autem causas libera potestas in liberos facinorosos animadvertendi, Imperii nostri principibus à nonnullis denegatur, eamque sententiam propugnant Pistor. *P. IV. qu. 169.* Myler ab Ehrenbach *de Statib. Imperii c. XXXV.* & in *Gallog. c. XXII. §. 2. seqq.* quos sequuntur Dn. Berger.

ger *dissert. de potest. pers. publ. in se ipsam. thes. 64. 65. seqq.* Muller. *dissert. d. fevit c. 3. §. 7.* Dn. de Lyncker *dissert. de Immedietate civium Imperii §. 8.* Fritsch. *in addition. ad Reyger. thes. Jur. verb. Princeps.* Præcipuæ rationes, quibus isti inniuntur, hæ sunt: quod filii illustrium parentum genitoribus sint pares, eandemque cum illis habeant dignitatem, imo una cum illis censeantur persona, atque hinc in literis investituræ una cum patre de omnibus juribus territorialibus investiantur, & in quasi possessione feudi constituantur, præterea homagium ipsis vivo parente à subditis præstetur, atque hinc par in parem jurisdictionem habere nequeat. Provocant deinde ad *l. fin. C. ubi senat. vel clariss.* nec non ad Herodis Regis, filios suos coram Augusto Imperatore accusantis, nec non ad aliorum Regum ac procerum exempla. Mihi vero cum aliis probatissimis autoribus asserere liceat, Electorum æque ac reliquorum Principum filios, in civilibus pariter ac criminalibus, jurisdictioni parentum esse subjectos: cum isti tam ob qualitatem nativam & intrinsicam, quatenus sunt filii, quam adventitiam seu extrinsecam, ex delicto resultantem, omnino parentibus suis sint inferiores.

res:

res; & quia regni hæc est sanctitas, ut nemo in illo sit, cui Rex non sit Rex: superioritas quoque territorialis ad omnes in territorio deprehensos & delinquentes se extendit: quin & si leges civiles privato genitori filium delinquentem castigandi jus permittunt, *arg. l. 3. C. de patr. potest.* cur Principibus eadem facultas haud competat, vix apparet. Nec obstat, quod patrem in dignitate exæquent filii principes, & par in parem non imperet: Paritas enim illa minime in potestate & superioritate territoriali consistit, sed ad ortum & certissimam spem succedendi respicit; Neque ficta unitas asserto nostro repugnat, cum illa ultra tertium comparationis nullum habeat effectum. Præterea nec simultanea investitura filium à patria potestate eximit, minus filium in possessione terrarum constituit, sed spem saltem successionis tribuit, æque ac homagium in futurum eventum à subditis præstitum. De cætero antiquæ leges civiles statui Imperii nostri præsentis, quo Principes Germaniæ Imperatori in suis provinciis fere sunt æquales, minime conveniunt, & denique exempla veteris & moderni seculi sententiam nostram quam maxime confirmant. Conf. pluribus Vittriar. *Illustrat. lib. III.*

tit. XVII. §. 11. seqq. p. 830. Dn. Joh. Klein. dissert. de foro illustr. fil. delinqu. c. 2. & 3. Rhet. cit. l.

§. 17. Sed & aliis qualitatibus ornati sint Electori filii necessum est, & parentibus post harum fata succedant. Præterquam enim, quod primogenitus successor, laicus, nec non legitime natus esse debeat, juxta *A. B. c. VII.* ulterius requiritur, ut non sit mente captus aut fatuus, neque alio defectu notabili laboret; Id quippe bono adversaretur publico, nec ab aliis regendus alios regere potest. Hinc, qui surdus, mutus vel cæcus existit, ad Electoratum non admittitur. *Vultej. de feud. l. 1. c. 9. n. 64.* Levior tamen defectus Electoratu non privat primogenitum, illumque deformem quidem, non autem inhabilem reddit ad administrandum. Multo minus ab Electoratu depellendus, cui tales defectus post delatam dignitatem superveniunt: magis enim huic dandus est administrator, quam ut dignitatem prorsus deponat electoralem. *Limnæus ad A. B. c. VII. observ. 11. p. 379.*

§. 18. Prius vero, quam de successione filiorum electoralium dicam, de duplici, in quo isti vivunt, statu edisseram. Sunt enim illi post parentum fata, vel majorenes vel minorenes.

Ma-

Majorenes dicuntur, qui legitimam ætatem, decem videlicet & actio annos, attigerunt, A. B. c. VII. §. 4. De jure equidem communi, is demum maturæ censetur ætatis, qui 25. annorum metam est consecutus, *t. t. ff. de minor.* Jus vero Saxonicum, contra regulas juris civilis, ætatem 21. annorum constituit, *Land-Recht / lib. 1. art. 42.* Sed strictiorem ætatis terminum Electorum filii præstituit Carolus IV. ad salutem forsitan & tranquillitatem publicam respiciens, ne videlicet provinciæ nimis diu legitimo rectore carere debeant, imprimis, cum apud Longobardos quoque eadem ætas 18. annorum definita fuerit, ut major quis ex illo annorum numero haberetur. Atque hinc idem terminus in suprema Imperatoris persona observatur, ut scil. huic eodem ætatis termino fasces Imperii moderandi committantur, veluti in Capitulatione gloriosissimæ memoriæ Imperatoris Josephi, definitur ita enim §. 47. expresse cautum legitur: *Das der Römische König bey Ihro Käyserl. Majestät Leben / und nach derselben Tode / vor dem 18. Jahre seines Alters der Regierung sich nicht unternehmen wolte.*

§. 19. Notanda quoque est controversia,

C 3

quan-

quando quæritur: An tempus illud 18. annorum completum requiratur, ita ut ne unius quidem dies deesse debeat? Certe si ad ipsa A. B. c. VII. verba attendimus, *achtzehen ganze oder vollkommene Jahre* / omnis expirat dubitatio. Nec est, quod quidam objiciant vocabulum: *attigerit, erreicht* / cum illud ex antecedentibus verbis interpretationem accipiat. Multo minus huc quadrat *l. 8. ff. de muner. & honor.* & quod in favorabilibus annus cœptus pro completo existimetur. Aurea quippe Bulla *loc. cit.* completos exigit 18. annos, quos proinde neque pater coangustare, nec extendere pro lubitu valet. Plura quæ huc spectant, exhibet Textor. *Jur. publ. tit. VIII. n. 114. seqq.* conf. Crugerum *in discurs. Jur. publ. part. special. membr. 1. discurs. X. ubi §. 5. p. 150.* hanc Electorum præ reliquis principibus præeminentiam late deducit, atque singulare Ducum Brunsvicensium, & Luneburgensium, Marchionum item Brandenburgensium, Ducum Saxoniorum & Württembergicorum, itemque Palatinorum Rheni & Principum Anhaltinorum privilegium commemorat. conf. quoque Limnæum *lib. III. Jur. publ. c. 7. §. 41. seqq. & Tit. IV. addit. libr. IV.*

IV. c. 9. §. 157. Et ad A. B. lib. VII. §. 2. observ. 25.
 Idem fere in Hassiaca & Austriaca gente obtinet,
 teste Schüzio in *Jur. publ. disput VII. thes. 16. tit.*
 6. Adde, si placet, novissimum Friderici, Se-
 renissimi Ducis Saxo-Gothani, exemplum, cui
 ante annum 18. completum speciali Imperatoris
 indultu ob incomparabilem Principis hujus pru-
 dentiam, Anno 1693. ducatum regimen fuit
 commissum.

§. 20. Venio nunc ad minorenes Princi-
 pes Electorales, de quorum tutela in presenti
 dicendum. Disquiritur autem, an Tutela testamen-
 taria, an legitima hic prævaleat? Mota fuit hæc
 controversia sub initium superioris sæculi, cum
 Fridericus IV. Palatinus Johannem Bipontinum,
 filio suo minoreni, præterito proximiore agna-
 to, Philippo Ludovico Neoburgico, tutorem
 constitueret. Inde hæc, quam modo dixi, orie-
 batur controversia, quænam tutela obtineat, an
 legitima, an testamentaria? Pro priori sententia
 accurate scripserunt Johannes Zeschlinus, & Za-
 charias Freidenreich: pro posteriori vero Diony-
 sius Gothofredus, atque Marquardus Freherus,
 qui cum aliis hanc rem ex Instituto pertracta-
 runt; Plures pro utraque parte Autores addu-

xit Vitriarius, in *Institut. J. p. 732*. Pro legitima tutela facit in primis perspicuus A. B. textus, *cap. 7. §. 4.* in verb. *Si principem Electorem, seu ejus primogenitum, aut filium seniore, laicum, mori, & heredes masculos legitimos laicos defectum aetatis patientes relinquere contigerit, tunc frater senior ejusdem primogeniti tutor eorum & administrator existat.* Faciunt huc etiam exempla, quarum unum vel alterum saltem attingam. Archi-Episcopum enim Moguntinum & Vdalricum, comitem de VVurtemberg, tutores filio suo Philippo 1449. designaverat Ludovicus IV. contra quos tamen obtinuit frater Ludovici, Fridericus. Pariter Casimirus, Ludovici frater, praevaluit tutoribus testamentariis. Mei jam instituti non fert ratio, singula illorum, qui tutelam testamentariam defendunt, argumenta producere, scum primis quod istis ne quidem temporibus hæc decisa fuerit controuersia. confer. Thulemar. *de octoviratu cap. 27. n. 3.* Rhet. *Instit. Jur. publ. l. i. cap. 7. §. 9.*

§. 21. Aliam præterea litem moverunt Juris publici Doctores nonnulli, Electorum terras & provincias in hereditarias atque electorales dispescentes, & electoralium, quidem tutelam pro-

proximo agnato adsignantes, reliquarum vero ab Electoratu distinctarum regionum administrationem aliis tutoribus testamento committi posse, arbitantes, vid. Illustris Dn. Coccejus *Jurisprud. publ. cap. 29. §. 17. 20.* Verum vel ipse A. B. contextus repugnare videtur, qui proximorem agnatum, tutorem & administratorem liberorum electoralium diserte constituit. Ex quo inferri potest, tam in Electoratu, quam in cæteris territoriis & possessionibus individuum constitui tutelam. Vide, quæ circa hæc diligenter observavit, pluribusque deduxit rationibus, Rumelinus ad A. B. *dissert. VII. thes. 4. p. 163.* & quæ infra §. 24. dicentur.

§. 22. Hactenus de tutela: pergo nunc ad ipsos minorennium tutores, circa quorum conditionem pauca penitus inuestigabo. Principum Electorum tutor sit laicus, non æque clericus, juxta Bullam Sigismundi, apud Goldastum *Vol. 1. Constitut. Imperial. p. 143.* quippe clericus successionis æque ac tutelæ incapax habetur. Buxtorff. *ad A. B. thes. 86. lit. b.* Cujus deinde ætatis legitimum tutorem esse debeat, dilquiritur. Nihil equidem certi exprimit Imperator; hinc annos 25. qui in omnibus generaliter tutelis obser-

D

van-

vantur, plurimi Jur. publ. DD. requirunt, cum ante hos nemini libera rerum suarum administratio concedatur, multo minus alienarum provisio ipsi sit committenda. Et cum perfectam in Principe Electore 18. annorum aetatem defini- verit Imperator, majorem forte in tutore & ad- ministratore requirere voluit. Hinc proximiori adgnato, qui tempore delatae tutelae defectum aetatis patitur, remotior, qui est legitimae aetatis, praefertur, ita, ut nihilominus tutor maneat, licet proximior legitimae aetatis esse coeperit, do- nec pupillus ad perfectam aetatem pervenerit, A.B. cap. 7. §. 4. verbis: *Quam dum attigerit, jus, vocem, & potestatem, & omnia ab ipsis depen- dentia, tutor ipse sibi totaliter cum officio tenetur protinus assignare*, conf. Buxtorff. Limnaum & Rummelinum ad A. B. Thulemar. *de Ocfovir. cap. 27.* Crugerum *in discursu Jur. publ. p. 145.* Svvederum *Jur. publ. p. 793. seqq.* Textor. *Jure publ. tit. VIII.*

§. 23. Suppositis igitur tutorum requisitis, de officio illorum, quo fungi solent, breviter edisseram. Illud vero indubie respicit electora- lia, Jus scilicet voti in electione caesarea, officia Electoris in actu coronationis, & quae sunt reli-
qua

qua Electorū ipsorum munera, quibus Electoratus administratio est conjuncta. Scripsit quidem contra hanc sententiam Coccejus, *Jurisprud. publ. c. 29. §. 17. seqq.* tutorum officium non æque in Electoratus administratione, ac jure eligendi Imperatorem, consistere arbitratus; potiores, quas attulit, dubitandi rationes, sub examen revocavit Textor, *Jur. publ. tit. VIII. n. 128. seqq.* quas proinde non repeto. Id potius dabo probatum Electorum tutoribus & tutelam & administrationem Electoratus competere. Aureæ namq; Bullæ verba pro nobis pugnant: *Tutor eorum & administrator existat, cap. VII. §. 4.* Deinde Electoratus seculares cum jure & voce electionis cæsareæ indivisibiliter unitos voluit Imperator in *A. B. tit. 20.* Imo ad observantiam provocare licebit: Fridericus etenim Victoriosus, Philippi, & Johannes Casimirus Friderici IV. in Palatina gente tutores legitimi, omnia Electoratus Palatini jura territorialia exercebant, homagia recipiendo, edicta promulgando, tributa & collectas exigendo, officiales vel constituendo vel destituendo, Vasallos de feudo investiendo, milites conscribendo, justitiamque administrando, aliaque quibus potestas electora-

lis circumscribitur. Sic tutoribus quoque Palatinae & Saxonicae electoralis familiae competiit vicariatus Imperii, quem serenissimis utriusque hujus gentis Principibus Carolus IV. contulit in *A. B. cap. 5.*

§. 24. Finita igitur tutela, & anno 18. ætatis completo, statim ad majorem Principem patri succedentem ipsa electoratus sui administratio redit, ita, ut non electoratum saltem, sed & reliquarum regionum & bonorum gubernationem licite suscipere valeat, qua de re agit Autor *des Europäischen Herolds Tom. I. p. 219.* & *Dn. Horn. Jurispr. feudal. c. 7. §. ult.* Is vero successor legitimus sit, necessum est, juxta *Auream Bullam cap. VII.* Naturalis enim, licet primogenitus, regulariter excluditur, nisi per subsequens matrimonium fuerit legitimatus. Hæc quippe legitimatio tantam vim habet, ut omnem maculam tollat, nihilque à legitimis differant eo modo legitimi, *Novel. 89. cap. 8. §. 9. c. 6. X. qui filii sint legit.* Vide, quæ circa hæc monuit *Dn. Joh. Samuel Stryck. dissert. de liber. natur. p. 32.* Etiam si enim vel alio modo naturales suos legitimare possint Electores, quo de modo laudatus

datus Stryckius *l. c. p. 82. seqq.* primogenitus tamen naturalis, in præjudicium legitimæ sobolis, ipsi Electoratum adimere nequit. Id quod pariter de adoptivis filiis venit dicendum. Illi namque jus successionis in electoralibus habere nequeunt, cum non sint legitimi, sed in filios saltem adoptati. *conf. VVurmser. in Exercitat. Jur. publ. 2. conclus. 10. Vide, quæ Linnaeus habet ad A. B. c. VII. observ. 9. p. 378.*

§. 25. Est nunc, quod agam de successione Principum Electorum, quos penes successio linealis valet. Distinguuntur tamen, ut supra jam observatum fuit, terræ Electorum in electorales & hereditarias; Et terræ quidem electorales, electoratus antiquo tempore nexæ, ab eo divelli nequeunt: Hereditariæ vero vel jure successionis vel aliunde acquiruntur. Istæ soli primogenito cedunt, neque divisioni neque paternæ dispositioni relinquuntur, per clarissima verba *A. B. c. 25. §. 2.* Hæ vero aliis, quos sibi heredes constituit Elector, conferri possunt. Hinc Sigismundus in literis investituræ Friderico Bellicoso, Misniæ Marchioni, de Saxonia concessis, Electoratum à Ducatu Saxoniæ distinxit, apud

D 3

Luni-

Lünigium im Teutschen Reichs: Archiv. *part. spec. II. p. 6.* Exemplum quoque in promptu habetur Joh. Georgii I. cujus testamentum apud eundem Lunigium *l. c. p. 169.* extat, qui primogenito Joh. Georgio II. Electoratum ac terras potiores, secundo genito Augusto, Thuringiæ partem, tertio genito Christiano, Episcopatum Merseburgensem & partem Lusatix, quarto genito Mauritio, Electoratum Naumburgensem, Voigtlandiæ & Comitatus Hennebergici partem libere adsignavit.

§. 26. In istis igitur provinciis electoralibus primogenitus, si legitimus, laicus, sanæque mentis sit, ex *A. B. c. VII.* constitutione, succedit, ita, ut in ejusdem linea, quousque illa durat, successio jure primogenituræ semper observato continetur. Ex nulla autem alia ratione in *A. B.* electoralis dignitas ad solum primogenitum privative restringitur, quam, ne Electorum numerus multiplicetur, juxta Crugerum *in discurs. Jur. publ. parte general. Discurs. 2. p. 23.* Filium igitur primogenitum ejusque descendentes masculos succedere jussit Imperator in *A. B. loco citato §. 2. verbis: Ad filium suum primoge-*

primogenitum, legitimum, laicum, illo vero non ex-
tante, ad ejusdem primogenitum, similiter laicum,
liberè & sine contradictione cujuscumque devolutur.
Juri tamen suo renunciare potest primogenitus,
id quod vel ex Friderici I. Electoris Brandenburgici,
filii primogeniti Johannis exemplo, Electoratum
Friderico II. fratri secundogenito relinquentis,
probari sufficienter potest. conf. Cernitius, *de famil. Elector. Brandenburg.*
p. 23. & Thulemar. c. XXIII. §. 14. Transfertur
præterea successio ad secundogenitum & ejus
liberos, extincta primogeniti linea, & porro à
secundo genito ad tertio genitum ejusque liberos
devolvitur, *A. B. loc. cit.*

§. 27. Circa Electorum filios handignobis
ventilatur controversia inter Jur. publ. DD.
Num Elector, cui successione alius defertur
electoratus, unum ex istis filio suo cedere,
sicque pater & filius simul collegio
electorali assidere queant? Eicet autem
Schuzius *Vol. I. disp. jur. publ. 7. thes. 15. lit. D.* una cum
Schvvedero *part. special. sect. 2. c. 3. thes. 9.* judicium
suum super hac quaestione suspendant;
rationes tamen, quæ in utramque partem
adduci possunt, stri-
ctim

Etim notare placet. Et quidem pro negativa sen-
 tentia hoc pugnat argumentum, quod pater & fi-
 lius pro una habeantur persona, atque ob hoc
 ipsum simul in collegium cooptari nequeant.
 Hinc Imperator Sigismundus in den Bekantz-
 nüs = Briefe über das Churfürstenthum
 Sachsen/ apud Goldast. *part. 2. der Reichs-
 Satzungen/ pag. 103.* his verbis utitur: Wie-
 wohl Keyserl. Majestät der zween Chur-
 Fürsten Bitte gern erhöret/ so hätte doch
 dieselbe möglich betrachtet/ Gottes und des
 Heyligen Reichs Ehre / daß nicht gehöret
 und frembd wäre / daß Vater und Sohn
 solten zwey Churfürstenthümer besizen.
 Affirmativæ vero adstipulatur (1.) exemplum
 Caroli IV. Regis Bohemiæ, qui VVenzeslaum
 filium de Electoratu investivit, nec non Ernesti,
 Saxonix Electoris, qui una cum filio, Alberto,
 Moguntino Electore, collegio electorali inter-
 fuit. Tum etiam (2.) justitiæ contrariari vide-
 tur, si filius bene de Republ. meritis præmio
 carere debeat, ob solam patris dignitatem, præ-
 fertim si sit secundo genitus. Cæterum Linnæo
 placet distinguere, an Electori per successionem
 alius

alius electoratus obveniat, atque hunc filio suo
cedere posse, asserit: si vero electoratus ad Im-
perium redit, non facile eundem alteri Electori
conferri posse, putat *Tom. IV. Add. ad libr. 3.*
cap. 7. p. 349. Fritschius vero *Vol. 2. Exercitat.*
jur publ. in negativam pure inclinatur.

§. 28. Restat, ut de filiorum electoralium
fatis pauca moneantur. Sane, si horum paren-
tes tale delictum committant, ex quo status Rei-
publ. læditur, & ob quod in banni pœnam in-
cidunt, damnum illud ad filios quoque redun-
dare, ita, ut hi omni dignitate, bonis ac existi-
matione priventur, certum est. Licet enim nec
crimen, nec pœna paterna ullam filio infligere
possit maculam, *arg. l. 26. ff. de pœn. & filius*
patris nota maculari non debeat, l. 2. §. 2. in fin.
ff. de decurion. in casu tamen criminis læsæ Ma-
jestatis id non attenditur, *arg. l. 5. §. 1. C. ad L.*
Ful. Majestatis, conf. A. B. c. XXIV. ubi Impe-
rator liberos reorum criminis læsæ Majestatis
perpetuo vult esse pauperes atque tales, ut illis
perpetua egestate sordentibus, sit & mors sola-
tium, & vita supplicium: idque ideo, quoniam,
E pro-

prout Imperator loquitur, paterni, h. e. hereditarii criminis in eis metuentur exempla. Contrarium equidem cum aliis tuentur Rosenth. *de feud. cap. II. conclus. 9. n. 10. & seqq.* Rusdorff. *in Vindic. caus. Palat. c. 24. n. 46.* qui posterior ad Electorum Saxoniae & Brandenburgensis, contra Friderici Palatini proscripti filiorum exclusionem à feudo electorali protestationem provocavit; affirmativam tamen adstruunt alii, cum primis Gailius *libr. 2. de P. P. c. 13. n. 15. & seqq.* vid. *Reichs-Abschiede* de anno 1567. §. *So viel dann den 10.* & de anno 1576. §. *Ob auch wohl.* Exempla si desideras, evolve Carpzov. *de leg. Reg. German. c. 9. sect. 9. n. 24. & seqq.* Adde Mylerum ab Ehrenbach *in addit. ad Rummelin. p. III. dissert. IV. §. 9.* Novissimum hujus poenae exemplum Elector Bavariae nobis sistit, cujus proscriptionis formulam satis horridam leges apud Lunigium *Reichs-Archiv, p. gen. II. pag. 128.* abunde testantur. De eo vero ejusque filiis, quid expectandum sit, pax, quam omnes optamus, edocebit.

§. 29. Hæc de Electorum filiis, in præ-
senti

senti sufficiant. Plura enim exponere, mihi nec
 animus fuit, nec paginae permisit angustia. Ad-
 eant, plura qui volunt, autores hinc inde cita-
 tos, aliosque qui de Electoribus scripserunt.
 Denique, à vero si aberravi, in me ut modeste
 id corrigas, B. L. tuoque me favori com-
 mendatum habeas, enixe rogo.

T A N T V M!



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

LIBRARY





Ms 86^{de}
=

ULB Halle
005 404 789

3





DISSERTATIO JURIS PVBLICI
DE
FILIIS ELECTORVM

Don
Shue = Grinzen

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

DN. WILHELMO HEINRICO

DVCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIVM,
ANGARIÆ, WESTPHALIÆQVE ET RELIQA
PERMISSV ILLVSTRIS FCC. ORDINIS

IN ACADEMIA JENENSI

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO WILDVOGELIO

JCTO CONSVMMATISSIMO,
CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI INTIMO, ITEMQVE ANTE-
CESSORE, CVRIÆ PROVINCIALIS ET SCABINATVS
ASSESSORE GRAVISSIMO,

H. T. PRORECTORE MAGNIFICO

*Domino Patrono ac Præceptore omni observantia
& cultu atatem venerando*

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIITIONI SISTET

Ad D. Julii Anno M D CC XI.

IN AVDITORIO JURIDICO

A. & R.

JOHANNES ALBERTVS HEVLEIN,

Heilsbronna-Francus.

I E N Æ

TYPIS MVLLERIANIS